

nuptiis alterius indigna, textu claro cit. l. *Cum ita*. 63, § 1, ff. eod.

649. *Verumtamen evanescit conditio, debetque legatum, si legatarius minime nubens religionem ingreditur.* — Resp. Quamvis conditio, « Si nupserit, et liberos procreaverit : » vel absolute « si nupserit, » valida et servanda sit juxta dicta præced. conclus. Tamen habetur pro non adjecta, si legatarius aut religionem ingrediatur, aut sacros ordines suscipiat. Prima pars de ingredientibus monasterium, docetur a Pirhing, h. t. n. 74; Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. XIX, a. n. 7, usque ad 11, ubi plures alios citat, Molina, disp. 207, n. 13, dicens, in hoc convenire omnes, arg. Authent. *Nisi rogati C. A. S. C. Trebellian.* et novel. 123, cap. *Si quis sub conditione*. 37, ubi expresse ita statuitur : « Sansimus, si personæ talibus conditionibus subjectæ, sive masculi, sive fœminæ, monasteria ingrediatur, aut clerici fiant, tales condiciones invalidas, et pro non scriptis esse. » Ratio est, quia quando non expresse constat de contraria voluntate testatoris, merito præsumitur voluisse excipere a conditione casum, quo legatarius religionem ingrediatur.

650. *Aut sacros ordines suscipiat.* — Secunda pars, quod annullentur similes condiciones etiam casu, quo legatarius monasterium non ingreditur, sed manens in sæculo sacros ordines suscipit, docetur ab eodem Pirhing, h. t. n. 75; Menoch., lib. IV, præsumpt. 83, n. 65, et seqq.; Felin., in cap. VIII, de *Probat.* n. 56; Decis. consil. 259, n. 5 et 6; Covarruv., loc. cit. n. 10, arg. cit. novell. 123, cap. XXXVII, ubi divisivo loquitur textus : « Si monasteria ingrediatur, aut clerici fiant : » consequenter satis insinuat alterutrum sufficere, cum dictio divisiva *Vel* in quovis divisivis membris verificetur, arg. l. *Ubi autem*. § *Illud*. ff. de *Verb. obligat.* Accedit, quando ex de monachis et clericis mentionem simul facit, per hos ultimos semper intelligat clericos sæculares, arg. l. *Deo nobis*. 56, c. de *Episc. et Cleric.* Imo textus ipse aperte indicat, quod per ly *Clerici* ibidem intelligat clericos sæculares, hoc ipso, quod aliter de ingredientibus monasterium, aliter de clericis loquatur, statim subsequentibus illis verbis : « Hoc autem solatio clericis ecclesiarum fruatur, si usque ad suam vitam in his perseveraverint, ut res sub tali conditione donatas, aut relictas, ad pia opera expendant, et relinquunt. (Ecce dispositionem de clericis)

in personis enim, quæ in monasterium ingrediuntur, monasterio res sub tali conditione donatas, aut relictas, cum alia eorum substantia competere volumus : » Ecce aliam depositionem de ingredientibus monasterium. Nullatenus proin attendendus est Abbas, qui in c. *In præsentia*. 8, de *Probat.* n. 43. textum allegatum pro sententia contraria interpretari conatur.

651. *Dummodo talis clericus usque ad mortem in tali clericatu maneat, et tale legatum ad causas pias applicet.* — Verum fatentur doctores citati cum communi aliorum, duo requiri ad hoc, ut clericus sæcularis accipere possit legata sub conditione, « Si nupserit, vel liberos adquisierit, » sibi facta; videlicet primo, ut in clericatu usque ad mortem perseveret : secundo, ut talia legata, vel hæreditatem ad causas pias applicet; per textum in citata novella 123, cap. XXXVII allegatum.

652. *Valet conditio aperte manifestata : si religionem ingreditur, vel clericatum assumit, nihil, vel minus lego.* — Limitatur autem conclusio n. 649, posita, iisdem in casibus, quibus supra conclusionem n. 624, positam limitari diximus, præcipue, autem, si testator manifeste voluntatem suam exprimit, quod filio, aut filiæ seu extraneo legatum vel totum, vel partem denegari, vel adimi velit in casu, quo vel sacerdos, vel Monachus fiat, expresse v. g. dicendo : « Titio lego ducentos florenos, si nupserit, aut in sæculo remaneat; si vero ordines sacros suscipiat, aut religionem aliquam ingrediatur, solummodo centum vel nihil, vel volo, ut præfati ducenti Caio restituantur, » omnino valida et servanda est conditio. Covarruvias, loc. cit. cum pluribus aliis ab eodem citatis, Molina, loc. cit. n. 14 et 15, ac alii supra n. 625, citati, ob juris fundamentum ibidem allegatum.

653. *Solvitur instantia, et ostenditur, quod similis conditio iniqua non sit.* — Nec dicas, turpe esse, ac viro christiano indignum, suæ dispositioni apponere conditionem, qua quis retrahatur a statu perfectiori, qualis est status religionis, aut clericatus, respectu laicalis; atqui talis est conditio, qua testator dicit : « Si Titius in sæculo manet, » vel « Si nubat, » vel « Si liberos acquirat, etc. hæredem instituo, » vel « ducentos florenos lego, etc. Si vero religionem ingrediatur, aut sacros Ordines suscipiat, Caium substituo, » vel « solummodo viginti, » aut « nihil lego. »

tem si dicit : « Liberos meos, si in sæculo manent, hæredes æqualiter instituo; si vero unus vel plures religionem ingrediatur, aut ordines suscipiant, volo, ut eis sola relinquatur legitima, reliquum cæteris accrescat, » etc. ergo. Nam contra est, quod licet turpe, consequenter illicitum sit, similes condiciones vel ex odio religionis, vel absque juxta causa fiat, utile facile fieri potest : v. g. si fit ad conservationem familiæ, vel stemmatis : vel si remanenti in sæculo plus quam ingredienti religionem ideo relinquatur aut legatur, quia ille majori, hic minori sustentatione indiget : vel quia sæcularis non autem religiosus necesse habet : vel quia sæcularis a religioso nihil amplius, bene vero religiosus a sæculari aliquid temporale sperare aut acquirere potest, vel per testamentum, vel ab intestato, uti post Covarruviam, loc. cit. bene advertit Molina, loc. cit. n. 14. et alii.

654. *Pariter valet conditio : Si religionem ingreditur, vel clericus fit, hæredem instituo, vel eidem plus lego.* — Resp. V. Conditio; « Si Religionem ingrediatur, vel sacerdos, aut clericus fiat, » valet, et servanda, vel legatum sub ea factum dimittendum est. Covarruvias, l. I. *Variar. resolut.* cap. XIX, n. 10; Gomez, tom. I. *Variar. resolut.* c. XII, n. 8; Molina, disp. 207, n. 6. et alii, arg. c. II, de *Condit. apposit.* et l. *Titio*. § 1, ff. de *Condit. et demonstrat.* Ratio est, quia licet sub spe lucri temporalis aliquem ad religionem, vel clericatum invitare, arg. cit. c. n. de *Condit. apposit.* Nec obstat, quod juxta n. 644. et jura ibidem allegata conditio « si non nubat » habeatur pro non adjecta : conditio autem « si Religionem ingrediatur, aut sacerdos fiat, » tacite involvant dictam conditionem, « Si non nubat; » tum quia neutiquam præsumendum est, quod jura per annulationem conditionis « non nubendi, » annullare etiam voluerint conditionem « ingrediendi religionem, seu monasterium, vel clericatum assumendi, » utpote cui in omnibus summopere favent, adeo ut alicui hæredi vel legatario sub conditione, « si liberos acquirat, » instituto hæreditatem vel legatum monasterium ingredienti, vel potius ipsi monasterio relinquat; etsi ita ingredienti, liberi non nascentur, juxta dicta n. 624. arg. novell. 123. cap. XXXVII.

655. *Legatum sub modo quid sit, et quomodo fiat?* — Illud etiam cum citatis doctoribus hic notandum, quod ea, quæ de legato sub

hujusmodi conditionibus facto diximus, etiam intelligenda sint de hæreditate, arg. cit. novell. 132. c. XXXVII.

656. *Legatum sub modo quid sit, et quomodo fiat?* — Legato sub conditione plurium affine est legatum sub modo, quod tunc fieri et esse dicitur, quando testator dum certo aliquo gravamine, onere, vel moderamine in futurum quid legat, dicendo v. g. « Titio lego mille florenos, ita tamen ut singulis annis Caio det decem, vel hoc aut illud faciat. » arg. tot. tit. c. de *Donation. quæ sub modo*. Differt hoc legatum a *conditionato* per hoc, quod istud suspendatur usque ad purificationem conditionis, indeque evanescat, si ante conditionis adimpletionem legatarius e vita discedat, juxta dicta superius, et notat Glossa, in c. *Verum*. 4. de *Condition. apposit.* E contra vero legatum sub modo statim valet, et transmittatur cum onere ad hæredes, si per hoc æque ac per legatarium modus impleri potest; uti bene observat Glossa, loc. cit. arg. l. I. II. et III. c. de *Donation. quæ sub modo*; Molina, disp. 208. n. 2. cum communi doctorum. Solet autem modus regulariter exprimi per dictionem *Ut*, sicut conditio per *Si*, et causa per *Quia*, juxta versiculum Glossæ citatæ, ibi : *Scito*, quod *ut* modus est, *si* conditio, *quia* causa. Nec refert, quod testator faciendo legatum sub modo utatur verbo *conditio*, dicendo v. g. « Lego Titio bis mille hac conditione, ut Caio alimenta præstet. » Arg. c. *Verum*. 4. de *Condit. apposit.* et ibi Glossa cum communi. Plura de legato sub modo vide apud legistas, et Molinam, cit. disp. 208. per totum.

657. *Legatum sub causa, quid?* — Quæritur IV. Quid sit? quomodo fiat? et quomodo valeat « legatum sub, seu ex certa causa? » Resp. I. Legatum sub, seu ex certa causa est, et fit, quando testator exprimit finem vel causam aliquam, ob quam præsentem, vel præteritam alicui quid legat, dicendo v. g. « Quia Titius pauper est : » vel « quia ipse fideliter negotia mea gessit : » vel « quia cæcus est, et proprio labore acquirere nihil potest, lego et mille. » Solet autem causa ordinarie indicari per dictiones, « quia, quoniam, cum, ideo, » etc. Dicitur notanter, « ob quam tanquam præteritam vel præsentem : » quia si fit ob causam et finem de futuro, non dicitur legatum ex causa, sed sub modo. Ita cum communi, et certa aliorum explicat legatum sub causa Molina, disp. 209. n. 1. arg. l. *Demonstratio falsa*. 17. et l. *Cum tale*. 72.

§ *Falsam*. 6. ff. de *Condit. et demonstrat.*

658. *Etsi causa non subsistat, subsistit legatum sub causa factum.* — Resp. II. Etsi causa, ob quam testator legatum fecit, non subsistat, valet nihilominus legatum, nisi expresse vel saltem præsumptive, indubitanter tamen constet, idque hæres sufficienter probet, quod testator hoc, quod alicui ex certa causa legavit, non legasset, si scivisset, causam non subsistere. Gomez. tom. I. *Variar. resolut.* cap. XII. n. 66; Molina, loc. cit. n. 8. cum communi aliorum claris juribus, § *Longe*. 31. *Instit. de Legat.* ibi: « Legato falsa causa adjecta non nocet: veluti si quis dixerit: Titio, quia me absente negotia mea curavit, stichum do, lego, » etc. vel ita: « Titio, quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus sum, stichum do, lego. Licet enim negotia testatoris nunquam gesserit Titius, neque patrocinio ejus liberatus sit, legatum valet, » l. *Demonstratio falsa*. 17. § *Quod autem*. et l. *Cum tale*. 72. § *Falsam*. 6. ff. de *Condit. et demonstrat.* ibi: « Falsam causam legato non obesse, verius est. » Rationem addit: « Quia ratio legandi legato non coheret; » subjungit tamen, quod pro secunda parte conclusionis nisi, etc. facit: « Sed plerumque doli exceptio locum habebit, si probetur alias legatarius non fuisse. » Concordat, lib. I. et fin. c. de *Fals. caus. adject. Leg.* et l. *Si pater*. c. de *Hæred.* *Instit.*

659. *Nisi hæres probet testatorem legaturum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error esset circa substantiam personæ.* — Hinc regulariter loquendo hæredi incumbit probatio, quod testator alicui legatum fecisset, si causam non subsistere scivisset. arg. cit. l. *Cum tale*. § *Falsam*. ff. de *Condition. et demonstrat.* Limita tamen hoc, si testator in substantia personæ erravit, putans eam esse filium, fratrem, etc. cum tamen talis non esset; tunc enim absque ulteriori probatione præsumitur, quod testator non legasset, si errorem scivisset: quod idem est, si in insituendo hærede circa personam fiat error; textu claro l. *Quoties*. 9. prin. ff. de *Hæred. instit.* ubi etiam ratio habetur illis verbis: « Quoniam voluntate deficitur. » Concordat, l. *Neque professio*. 5. c. h. t. et l. *Si pater*. 4. de *Hæred. instit.*

660. *Legatum cum demonstratione, quid? valet, etsi falsa sit demonstratio.* — Legato sub causa multum affine est legatum cum demonstratione, quod fieri, et esse dicitur, si testator circa rem, quam legat, vel personam, cui

legat, circumstantiam aliquam, signum, vel accidens exprimit, dicendo v. g.: « Centum, qui in illa mea cista jacent: » vel, « quæ Caius mihi debet: » vel, « quos mihi Sylvius donavit, lego Titio: » vel « Titie, quæ virgo est, lego mille, » etc. arg. l. *Demonstratio falsa*, prin. 17. ff. de *Condit. et demonstrat.* Circa hujusmodi legata illud jura statuunt: quod si extet res illa, et constet de ea, quam legavit, ac de persona, cui legavit, valeat legatum, etsi testator in demonstratione erret: textu claro cit. l. *Demonstratio falsa*. 17. prin. et § 1. ff. eod. ubi expresse dicitur, quod demonstratio falsa, sive sit circa rem, sive circa personam, non obsit legato, ibi: « Si ita servus legatus sit, stichum coquum, stichum sutorem lego, neque coquus, neque sutor sit, ad legatarium pertinebit; si de eo sensisse testatorem conveniat. Nam etsi in persona legatarii designanda aliquid erratum fuerit, constat autem, cui legare voluerit, perinde valet legatum, ac si nullus error interveniret. » Et l. *Quibus diebus*. 40. § 4. ff. eod. ibi: « Qui dotalem fundum nullum habeat, ita legaverat: fundum Cornelianum, quem illa mihi doti dedit, ei hæres dato: responderunt, fundum nihilominus legatum esse: quia cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non perimit. » Concordat, § *Huic proxima*. 30. *Instit. de Leg.* ubi dicit: « Juris regulam esse, falsa demonstratione legatum non perimi. »

661. *Dummodo res legata existat.* — Si vero res, quæ non demonstratur, omnino non existit: ut si dicat testator: « Lego Titio centum florenos, qui in illo loco sunt; » et ibi nullæ pecuniæ reperiantur, invalidum est legatum, l. I. § *Sed etsi dotem*. 7. ff. de *Dotæ præleg.* ibi: « Nam si quis ita legaverit centum, quæ in arca habeo, vel quæ ille apud me deposuit, si nulla sunt, nihil deberi constat: quia nulla corpora sunt. » Quod si tamen in demonstrato loco, aliqua, sed non tota designata pecunia, v. g. solum quinquaginta floreni forent, valerent legatum quoad istos, l. *Si servus* 108. § *Qui quinque*. 10. ff. de *Legat.* 1. ibi: « Qui quinque in arca habebat, ita legavit decem, quæ in arca habeo, legatum valebit, ita tamen, ut sola quinque ex testamento debeantur. » Hinc etiam testator dicit: « Lego Titio decem, quæ Caius mihi debet, » non valebit legatum, si Caius testatori nihil debebat, l. *Si sic*. 75. ff. de *Legat.* 1. ibi: « Si mihi, quod Titius debet,

fuerit legatum, neque Titius debeat, sciendum est nullum esse legatum »

662. *Et non sit error circa substantiam personæ, vel nisi probetur legaturum non fuisse, si errorem scivisset testator.* — Pariter non valet legatum, si in falsa demonstratione sit error circa substantiam personæ: item si hæres sufficienter probat testatorem legaturum non fuisse, si errorem cognovisset; per jura n. 658. citata. Et in hoc limitatur doctrina n. 660. posita.

663. *Ad legatum testamento insertum, eadem requiritur solemnitas, quæ ad testamentum.* — Queritur V. Quæ forma, et solemnitas requiratur ad legatum? Resp. I. Si legata fiunt in testamento, seu inseruntur testamento, eadem solemnitates regulariter requiruntur ad valorem legati, quæ ad valorem testamenti illius, cui inseruntur, adeo, ut si testamentum ex defectu alicujus solemnitatis deficiat, corruant etiam legata profana eidem inserta, nisi testamentum appositam habeat clausulam codicillarem. Communis ac certa: Textus expressus est in ff. 1. ff. de *Jure codicill.* et l. *Ex testamento*. 29. c. de *Fideicommiss.* ibi: « Ex testamento, quod jure non valet, nec fideicommissum (particulare) peti potest: » et dictum est supra n. 71. et 81.

664. *Limitatur in quatuor casibus.* — Limitatur tamen conclusio I. in casu, quo testamentum præcise est nullum ex causa præteritionis hæredis necessarii: textu claro novell. 115. cap. III. ad finem: ibi: « Si vero contigerit in quibusdam talibus testamentis (ob injuste præteritum necessarium hæredem nullis) quædam legata, etc. relinquere, ea omnia jubemus adimpleri. » II. Si hæres ipsemet fateatur defuncti voluntatem, l. *Non dubium*. 16. c. h. t. prout amplius dictum est supra n. 77. III. Si inserta sint legata pia, hæc enim etiam corrumpente testamento valent juxta dicta § VI. si apposita est clausula codicillaris, de qua paragrapho sequenti.

665. *Ad legatum sine testamento requiruntur quinque testes.* — Resp. II. Si legatum quis faciat extra testamentum, vel sine testamento, quinque requiruntur et sufficiunt testes; sive dein oretenus, sive in scriptis fiat. Communis contra Pirhing, h. t. n. 87. Textus expressus est in l. fin. § fin. c. de *Codicill.* ibi: « In omni autem ultima voluntate excepto testamento, quinque testes debent adhiberi. » Quæ verba legis tam clara sunt, ut capere non valeam, quod Pirhing,

loc. cit. docere non dubitet, sufficere ad legatum extra testamentum conditum duos vel tres testes. Nec enim quidquam pro ipso probat c. *Indicante*. 4. h. t.; tum quia ex illo plus non probatur, quam quod legatum etiam « solis nudis verbis, » id est, absque scriptura fieri possit; non item, quod duo testes sufficiant, prout legenti patet; tum quia legata ibidem memorata fuere privilegiata, utpote monasterio et liberis facta, consequenter ex illo c. pro legatis profanis nihil probatur. Adducit quidem pro se etiam Abbatem, in cit. c. IV. n. 1. hic tamen ibidem solum dicit, posse fieri legatum nudis verbis absque scriptura, et sine testamento; estque satis, si probetur per testes: non vero dicit, quod sufficiat probatio per duos testes.

666. *Excipitur legatum pium, et casus quo hæres fatetur defuncti voluntatem.* — Limitatur conclusio rursus primo in legatis piis, utpote ad quæ tam in quam extra testamentum sufficiunt duo testes, quicumque rationis capaces, etiam foeminae: vel sola manus propria testatoris: vel sola notitia ipsius hæredis; cum ad dispositionem pro causa pia penitus nulla requiratur juris dispositio, sed tantum, ut constet de voluntate testatoris, juxta dicta supra § VI. Limitatur secundo etiam quoad legata profana casu, quo ipsemet hæres fatetur defuncti voluntatem: cum enim existente propria confessione adversarii valeat absque consueta solemnitate testamentum juxta dicta supra n. 83. et seq. multo magis valebit legatum.

667. *Quinque testes non necessario rogari bene vero simul præsentibus esse debent.* — Resp. III. Ad faciendum legatum extra testamentum « quinque testes vel rogati, vel qui fortuito venerint, in uno eodemque tempore debent adhiberi: sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur: testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accommodantibus. » Sunt verba l. fin. ad fin. c. de *Codicillis*. Ex quibus colligitur, quod licet testes necessario non debeant esse rogati, uti in testamento juxta dicta n. 21. h. t. tamen necessario eo tempore, quo fit legatum, simul præsentibus esse, ac simul se subscribere debeant, si in scriptis fiat legatum; non item, si oretenus. Subsignatio vero, aut sigillatio testium, nec in scripto legato necessaria est.

668. *Doctrina practica, quod sæpe expedit sola legata, et non testamentum facere.* — Infertur, quod cum etiam sine testamento le-